

8. *Quid Judæi proderant Assyriis, dum apud hos in vinculis tenebantur?*

Poterant ab illis Assyrii virtutem, ac veri Numinis cultum edoceri.



P A R S II.

De Monarchia Persarum.

Adverte, duas in classes dividi Persiæ Reges, harum qualibet eorum quinos contineri.

CAPUT PRIMUM.

De quinque prioribus Persiæ Monarchis.

1. *Quis primus omnium Imperio Persico præfuit?*

Cyrus à providentissimo Numine ad id fastigii evehitus; de hoc enim multò antè Isaias vates præcinuit, eum esse delectum à Deo, ut hujus æterna, atque admiranda consilia velut minister exsequeretur. Debuerat Cyrus infans etiamnum, Avo Astyage sic decernente, violenta nece extinguui, quem tamen Providentia altior, haud sine prodigio, fati subduxit. Ubi Cyro ætas crevit maturior, Medos, Persas, Lydos cum Cræso horum Rege ultimo sibi subjecit. Eversâ dein Assyriorum monarchiâ, Asiæ universæ tenuit dominatum. Cùm subactâ Babylonîâ, ex Daniele an-

num